

regi, quam meritis conspicue condecorare, ac nobilitate, & extollere.

243. 1. Par. 29.

Abulen. Carthuf. Electio boni Regis dicitur in honorem & utilitatem Dei.

244. Cant. 4.

Gregor. Beda. Cassiod.

245.

Isai. 6.

Regnante pio Rege Dei solium manifestatur.

D. Hieron.

Apoc. 5. n. 11. Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium.

Num. 12. Dicentium voce magna, Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & ho-

norem, & gloriam, & benedictionem.

VERSIONES.

Syrus n. 11. Vidi tanquam vocem circum thronum, & numerus eorum myriades myriadum, & chilia chilia.

Arabicus. Tunc aspexi, & audivi voces Angelorum, &c. erat autem numerus summa eorum myriades myriadum, millia millium.

Aliqui Codi. Decem millia, decem millium, & millia millium.

Syrus n. 12. Dignus est ille mactatus accipere robur, & divitias.

D. August. Accipere potestatem, & divitias.

Pagninus. Potentiam, & divitias, & sapientiam.

EXPOSITIO X.

IDI, & audivi vocem Angelorum multorum. Ac si dicat, Vidi Angelos innumerabiles, & audivi eorum voces, una consona voce. Vocem Angelorum multorum. Non dixit voces, sed vocem; sic beati sunt concordantes ore, & animo ut non multae voces, sed una videatur in eis inesse vox. In circuitu throni scilicet Dei, ut promptissimi ad divina mandata exequenda, & animalium, & seniorum, ut eos nempe honorarent, & magnitudinem gloriae eorum declararent, ostendentes se custodes Ecclesiae, qui Praetorum, ac subditorum curam haberent. Et erat numerus eorum millia millium. Ac si dicat, multi, & innumerabiles. Alludit ad illud. Job. 25. n. 3. Nunquid est numerus militum eius. Et ad illud Daniel. 7. n. 10. Millia millium ministrabant ei, &c.

Dicentium voce magna: quia indicatur ingens animi affectus. Dignus est Agnus, qui occisus est: scilicet pro salute mundi. Accipere virtutem, & divinitatem. Ab omni nempe creatura accipere laudem, gloriam, & honorem, suae virtutis, divinitatis, &c. Ac proinde ut omnium ore sua virtus, Divinitas, ac sapientia publicetur, ac manifestetur, in omniumque ore habeatur.

Multi codices habent pro Deitate divitias, nam Deitas valde dives, & affluens est omni sapientia, bonitate, iustitia, omnibusque gratiis, attributis, perfectionibus omnique bono; sic ait Paul. Rom. 10. num. 12. Dives in omnibus, qui invocant illum. Ad Eph. 2. n. 4. Dicitur autem Dives est in misericordia. Rom. 1. n. 33.

Altitudo divitiarum sapientia, & clemencia Dei.

QUESTIO XXVII.

Quare tanta voce Angelorum multorum, acclamatur Agnus dignus ad accipiendam virtutem, Divinitatem, &c.

In limine quaestiones notandum est cum D. Thoma 3. p. q. 19. art. 3. Lyrano, Saario, Pereira, hac Agno dari septem elogia. Primum, virtutem. Secundum, divinitatem. Tertium, sapientiam. Quartum, fortitudinem. Quintum, honorem. Sextum, gloriam; & Septimum benedictionem pro numero septem sigillorum, quae continent septem illustiores Divinae Providentiae effectus. Sicut, & infra similibus septemplex doxologia, eidem offertur pro septem plagis, a quibus suos Agnus liberavit.

250. Multa millia Angelorum una voce clamant, quod dignus sit Agnus accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, &c. sed ad quid attribunt Dei filio virtutem, divinitatem, sapientiam; &c. cum haec omnia ex se habeat & si haec omnia ex se habeat; tamen multa millia Angelorum clamant, quod dignus sit inter omnes haec habere? Summa laus est sic hereditariam dignitatem possidere, ut ad illam meriti omnium obineat suffragia, & quod omnium calculo eligatur, & omnium iudicio id possideat, quamvis naturaliter ei debeatur. Hinc de nostro supremo Principe canit sponsa. Cantic. 5. n. 10. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus cur non dicitur haeres inter millia, ut rebelles Agricola dixerunt. Matth. 21. n. 38. Hic est haeres. Hoc ei est summum decus, quo & si haeres, tamen omnium calculo, omnium acclamatione electus videatur.

251. Secundum, Cum dicunt, Agnus, qui occisus est. illud, dignus, meritum tanquam causam denotat, ut bene probat Vasquez. tom. 1. in 3. part. disp. 79. cap. 1. Nam quamvis ratione solius unisonis recte diceretur Christus, hac nominis claritate dignus, ut verum cum notanter subjicitur, qui occisus est, aperitissimè significatur, huius dignitatis causam mortem fuisse, proinde enim fuit, ac si diceretur, ideo dignus est tanta dignitatis, ac principatus, quoniam occisus est. Sic ait Isaias 8. n. 6. Factus est principatus eius super humerum eius. Ex quibus verbis Christi meritum sic eruit Glossa Ordinaria. Nam duceretur ad patibulum, ait, portavit crucem in qua meruit principatum.

252. Tercio, Supra in hoc capite num. 9. quatuor animalia, & viginti quatuor seniores decantabant Agno, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo. At verò modo Angeli cum Agno deferunt laudes, non addunt, Redemisti nos? Quia ab eo nequaquam redempti, sed ut gratissimi; propter alia ab eo accepta beneficia cum innumeris laudibus efferunt. Rupertus. Ad eorum, ait, multitudinem pertinet huius Agno perhibere testimonium; quia videlicet & si non per ipsum redempti sunt, quia non perierunt. Attamen per divinitatem eius conditi sunt, & per sanguinem eius nobis conciliati sunt; iuxta illud ad Col. 1. n. 16. Quoniam in ipso condita sunt universa in caelis, & in terra, visibilia, & invisibilia.

Solveira in Apocalypsum. Tom. 1.

bilis, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, &c.

Quarto, Dignus est Agnus accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, &c. Ubi Joachimus Abbas sic ait: Aperto libro multitudinis Christianorum innumera ad Christi laudem conversa est, ut plene ab electis accipiat, quod apud perfidos Judaeos amississe videbatur. Gloriam, quam Judaei Christo denegarunt, multitudo gentium ei defert, ac decantat.

Quinto, Decantant. Dignus est Agnus accipere virtutem, Divinitatem, &c. Non intrinsecè, sed extrinsecè in manifestatione ac publicatione universa, ut ita glorificetur ab omnibus & dicunt. Accipere virtutem, hoc est ut explicat Cardinalis Hugo, Contra nostrum vitium, & de silitatem. Ut nos ab omni peccato redimeret, ac mundaret, ex quo grande dubium insurgit. Quomodo Sancti Angeli ac seniores decantant, ac laudibus extollunt in Christo Domino prius virtutem, contra nostrum peccatum, quam Divinitatem illius, nam in illa sanctissima humanitate, prius unio hypostatica consideranda est à qua omnis ejus excellentia resultavit; Divinitas, est quid valde gloriosum, ac magnificentissimum Christo Domino, id est ejus humanitati; virtus verò ad destruendum peccatum, valde salutaris toti humano generi, ideo haec primò celebratur tanquam quid valde gratum, ac jucundum Christo Domino; ex quo eleganter Imperfectus homil. 53. in Matth. Vis scire, ait, quantum diligat Jesus fideles suos; considera quid passus est pro eis; si enim magis quam gloriam suam illos amavit, quasi homo moriens propter nos; quid mirum, si majore dilectione tenebatur sanctorum, quos relinquebat in terra, quam dilectione gloriae, quam habebat in caelis.

255. Sexto, Merito dubitant Auctores quomodo dicitur quod Agnus dignus sit accipere virtutem, Divinitatem, sapientiam, &c. Cum haec omnia ille habeat à primò instanti suae conceptionis, in quo divinitas naturae humanae hypostaticè est unita, difficultatem rectè solvit Ansbertus lib. 3. in Apocal. quod sermo sit hic de Christo Domino prout est una persona mystica cum sua Ecclesia, ac proinde dona suae virtutis, divinitatis, ac sapientiae quae ipse sua morte, Ecclesiae, ac fidelibus dedit & communicavit, sua alta sapientia disponit, ut publica, & alta voce cives ecclesiae clamant, & decantent, quod ipse accipiat, & habeat, quae non bis largiri, ac concedere dignatus est. Ansbert. loco cit. Quia verò, ait, Christus, & Ecclesia una sunt persona, possunt haec quadam ratione ad ipsam referri. Dicatur ergo. Dignus est Agnus, qui occisus est, recipere virtutem, & divinitatem, &c. ac si diceretur in membris suis. Cum enim ipse sit Dei virtus ac Dei sapientia, in corpore suo (quod nos sumus) accipit, quod in se ipso possidet, de illo scriptum legimus.

256. Septimò, Decantant seniores. Accipere virtutem, divinitatem, & sapientiam, &c. Et cur inter tot praecleara Agni attributa, ejus charitatem non celebrant, decantant ejus Divinitatem, qua tanta excellentia pro nobis humilis factus est; decantant ejus virtutem, subintelligentes iustitiam, qua satisfecit, sapientiam, qua omnia miro modo ordinavit; fortitudinem, qua innumera tormenta sustinuit; gloriam

249. D. Thom. Lyran. Saarius, Pereira.

250.

Summa laus omnium habere suffragia ad dignitatem.

Cant. 5.

Matth. 21.

251.

Vasquez.

Christus per mortem meruit principatum. Isai. 9.

Glossa Ord.

252.

Angeli licet à Christo, non sunt redempti, multi beneficiis ab eo sunt glorificati. Rupert.

Rom. 10. Ephel. 1. Rom. 1.

153. Joachium. Dicit gentes gloriam Christisquam judaei denegarunt.

254.

Hugo.

Nostra salus super omnia gratissima Christo Domino.

Imperf. &c.

255.

Ansbert.

Illud quod Christus dicit suis, dicitur quod ipse habeat.

Affectus diligendi in Christo videtur excedere ipsam amorem.



gloriam, & honorem, qui inde ei provenit: ac benedictionem omnium donorum, quae ex eius morte hominibus impensa est: Cur ergo etiam eius charitatem non celebrant, cum ex ea tot miri excessus, ac affectus pullulaverint? alta sane consideratione cives caelestes in suo Cantico charitatem praetermittunt. Christus tempore mortis in omnibus suis virtutum magnalibus iusticia, fortitudinis, ac sapientiae maxime sibi complacuit. At eximius eius amoris affectus comparatione facta cum suo vehementi desiderio homines diligendi quodammodo videbatur tanto desiderio non coaerari. Inde omnes aliae virtutum eminentiae decantantur, charitas tamen in Cantico praetermittitur cum quodammodo, ac secundum nostrum dicendi modum, vehementi desiderio homines diligendi non proportionatur.

257.

Sapientia munit, & firmat regna. Cassiod.

Octavo, Decantant seniores. Dignus est Agnus accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, &c. Ubi sapientia praenotatur fortitudini, utpote illius fundamentum, ac stabilimentum principale ex quo Athalaticus Rex Praefectum Praetorianum extollens apud Cassiodor. lib. 8. Variar. 25. post aliquas enumeratas eius virtutes, ait; Verum his aliquid majus adiciens primordia regni nostri, & armis juvit. & literis; Nam dum cura lectorum regias cogitationes incesserent, subito a literarum penebris eiectus, par suis majoribus Ducatum praestitit intrepidus.

28. Isai. 8.

Septuag.

Matth. 1.

Sapientes, fortissimi muri reipublicae.

D. Chryl.

259. Deut. 33.

Lyras, Hugo, Abulens, Lorin. Doctoris cadaver corroboret principatum.

Decantat Isaias cap. 4. n. 8. Antequam sciat puer vocare Patrem suum, & matrem suam auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariae coram Rege Assyriorum. Seu ut legunt Septuaginta, ultima verba Accipiet fortitudinem Damasci, & spolia Samariae. Quae prophetia intelligitur adimpleta, cum Jesus parvulus adduxit stella duce tres Magos ex Damasco, id est ex Oriente, cum suis opibus, & gazis de spoliis Samariae, id est idololatriae, cui in primis dedita erat Samaria, ad suas cunas, & praesepe, sed in tribus hominibus Jesu subjectis, qualis fortitudo eripiebatur tyranno? Quid habebant hi tres homines, ut in eis omnis fortitudo adverteretur ablata censeatur. Erant hi tres Magi; id est sapientes, quos qui a parte sua tenet, optimo jure creditur tenere maximam regni fortitudinem D. Chryl. homil. 2. in Matth. inter opera Imperfecti. Ideo autem sunt dicti virtus Damasci, quia virtus uniuscujusque Provinciae sunt sapientes ipsius. Sapientes enim validissimi Reipublicae muri sunt, quibus, & tota Respublica munitur, ac custoditur.

Benedicens Moyses omnes Tribus Israel ad Gad ait. Deuter. 33. num. 20. Benediculus in latitudine Gad, quasi leo requievit, cepitque brachium, & verticem. Et vidit principatum suum, quod in parte sua Doctor est repositus. Maxime decantatur, & extollitur Gad fortitudo; quod ita validissimus sit, ut fiat veluti Leo, qui uno ictu simul possit percutere brachium cum Capite hostis, & suum principatum maxime stabilire, ac confirmare, sed unde illi tantum robur. Quod in parte sua Doctor repositus est. Nempe quod Moysis corpus in terrae suae sorte sepultum sit, ut interpretantur Lyranus, Hugo, Abulensis, Lorinus, & alii. Ex cineribus ergo unius sapientissimi Doctoris in sua ditione depositi, tantum inde robur haurit, ut fieret Leo fortis-

simus, ut simul uno ictu percuteret caput hominis cum brachio.

Apoc. 5. n. 13. Et omnem creaturam, quae in caelo est, & super terram, & sub terra, & quae sunt in mari, & quae in eo omnes audi vi dicentes: sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas, in saecula saeculorum.

Num. 14. Et quatuor animalia dicebant Amen, & viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adoraverunt viventem in saecula saeculorum.

VERSIONES.

Syrus. Et audivit eum, qui sedet super thronum dicentem, Agno detur benedictio.

Tertull. ad Agno sit honor, gloria, claritas, dignitas, potestas. nunc & in saecula saeculorum Amen.

Arabicus. Quodque in manibus est, ipsius est, sedenti benedictio, & veneratio, & robur.

Vat. pag. Gloria & imperium. Syrus. n. 14. Et illi seniores ceciderunt, & adoraverunt.

Oecumen. Et procciderunt in facies suas.

Arabicus. Et senes prostrati adoraverunt.

EXPOSITIO XI.

Et omnem creaturam. D. Aug. est supra, quod Joannes audivisset quatuor animalia, viginti quatuor seniores, & millia millium Angelorum referre. Nunc vero scribitur ceteras omnes creaturas easdem laudes intonasse. Et quae in caelo est. Ut sunt omnes sancti, Sol, Luna, Stellae. Et super terram; omnia animata, & inanimata. Et sub terra; ut animae in Purgatorio detentae, ut inquit Suar. Ribeira, & alii, & etiam quae sunt in limbo, ac in Inferno; ut Daemones ac damnati, ut inquit Divus Gregorius Dialog. 4. Rupert. & alii. In nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & infernorum. Coguntur enim Daemones Christum, ac Deum pro Domino agnoscere, & revereri.

260.

D. Greg. Rupert.

Et

261.

Et quae sunt in mari. Nempe pisces, margaritae, & gemmae. Et qui in ea. Classibus suis navigant. Omnes autem dicentes Deo & Agno laudes, idque voce cuique propria: nam etiam in irrationabilibus, & inanimatis: ipse propriae perfectionis a Deo acceptae ostentatio, ut divinae sapientiae potentiae, bonitatis clarissima narratio, confessio, & laudatio. ut ait Philo lib. de Plantati. Noe. Similiter creaturae irrationales dicuntur Deum laudare. Daniel. 3. num. 59. & Psalm. 148. n. 3.

Philo.

Dan. 3.

Et quatuor animalia dicebant Amen. Vox est apud Hebraeos precantis, & affirmantis, ac si dicatur; Certè ita est, vel dignum est, ut talis laudis confessio detur Deo, & Agno, & viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, Agnoscentes, & supplices venerantes Dei majestatem. Et adoraverunt viventem in saecula saeculorum. Deum nempe sempiternum, qui essentialiter est vita, in cujus comparatione nullum aliud vivens dicitur, qui ab aliis vitae puritate, felicitate, plenitudine distat in infinitum.

qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam. Et statim subditur: & omnem creaturam, quae in caelo est, & super terram, & quae sunt in mari, &c. ut in praesenti habetur. Apertè hic sermo refertur ad humanitatem, ut notant communiter Patres Andr. Celsar. Aretas, Primasius, Ansbertus, & alii; & manifestè patet ex verbis. Qui occisus est. In humanitate Dominus passus & mortem sustinuit; ex quo grande insurgit dubium. Cur dum Christus Dominus celebratur laudibus, ratione Divinitatis, cujus imperio cuncta creata sunt; viginti quatuor seniores gloriam, & honorem Deo decantant; ac dum Agnus occisus ob humanitatem, in qua supportavit mortem, & passionem, acclamatur, non solum astant seniores, & millia millium Angelorum, sed etiam omnis creatura, quae est in caelo, & in terra, & sub terra, ac in mari factis acclamationibus Domini excellentias intonant? Agnus occisus multis opprobriis, & flagellis, & clavis, lancea, cruce, ac morte hanc sibi gloriam comparavit, & honor, ac majestas, quae tanto sterit sanguine, & sudore in magna aestimatione, ac pretio habetur, & inde Dominus maxime gaudet eam magnis acclamationibus sublimari, ac decantari. Glossa Ordinaria. Quamò plures, tanto Glossa major attestatio, & majus gaudium.

Andr. Cels. Aretas, Primasius, Ansbertus.

In magno pretio est dignitas, quae labore, ac sanguine comparatur.

262.

Per cuius benedictionem subsistimus, ac per eam debemus benedictione repeti.

QUESTIO XXVIII.

Quare eadem glorificatio, quae datur sedenti in throno, decantatur etiam Agno ob librum reformatum?

263.

Omnis creaturae dicebant, sedenti in throno, & Agno benedictio & honor, & gloria, & potestas in saecula saeculorum. Deo, & Agno impenditur benedictio dum multa sedulitate perpetuae posteritati, ac aeternitati consulitur; honor ut definitur a Divo Thoma 2. 2. q. 103. art. 1. & 2. est restitutio excellentiae alicujus. Omnes enim creaturae sua perfectione, ac natura testificant Dei excellentiam. Gloria ei datur, dum illius iusta perficiunt; potestas vero, sive robur, & imperium, dum ad illius nutum, vel subsistunt, vel deficiunt. Ad quaestionem.

D. Thom.

264.

Et primo, unde fieri potuit ut alta confessione tanta gloria daretur ab omni creatura sedenti super throno, ac Agno; & merito sane idem honor praedicatur exhibendus sedenti super throno, ac Agno; eademque potestas, seu imperium, ut alii legunt, ei decantatur. Nonne homines ipse redemit? Ne mireris ergo creaturas etiam irrationales praedicasse Agnum imperio dignum, qui enim pro aliquibus redimendis vitam profudit, dignus etiam est aliorum dominio Favet Richardus Victorinus. Non solum dignus est salvator virtute, & quae supra dicta sunt accipere per laudem, & gratiarum actionem, sed omnem creaturam per potestatem. Cum sit salvator pro nobis vitam suam dans, dignus sit accipere gratiarum actionem, & omnem potestatem.

Dignus imperio censetur qui pro aliis vitam dat.

Richard.

265. Apoc. 4.

Secundo; Viginti quatuor seniores Deum adorant dicentes cap. 4. num. 11. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt. At vero Agno decantant viginti quatuor seniores, quatuor animalia, & millia millium Angelorum dicentes voce magna. Dignus est Agnus, & cetera in Apocalypsim, Tom. 1.

Tercio Omnes audivi dicentes, sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria. Cur inter hanc laudum decantationem, primum Deo datur benedictio. Creaturae in exordio suae creationis benedictionem a Deo acceperunt, per quam accepta fecunditate propagationis usque ad hanc diem in sua specie multiplicatae sunt, & deinde multiplicabuntur usque in finem saeculi: Ecce cur in praenotatis creaturarum primum est benedictio, quia per eam benedictionem subsistimus, ac perseveramus in vita, ei primum benedecere, ac in sempiternum vivere debemus, & acceptam benedictionem a Deo referamus, ipsum benedecentes. Rupertus: Sunt quaedam creaturae, ait, quae non solum praecepto eius in natura sunt, sed etiam benedictione eius in sua successione posteritate subsistunt, scilicet omnis creatura vivens, atque motabilis, quam praedixerunt. Aquila in species suas, & omne valat le secundum genus suum. Genes. 1. Vidit Deus quod esset bonum, benedixitque eis: dicens crescite, & multiplicamini & replete terram. Respondeo ergo primam benedictionis vocem emittunt ei, per cuius subsistunt benedictionem; benedictione accepta fecundatur creatura, prima vox eius sit, Deum benedecere.

267.

Quarto, occiso Agno fortitudinem, virtutem, & gloriam, supremam potestatem, ac imperium decantant, non solum seniores, & quatuor animalia, sed etiam omnis creatura, quae est in caelo, super terram, & sub terra; & unde Agno tam superexcelsa Dominatio? Leo dicitur Rex inter animalia, cujus fortitudini, omnia se subiectant inter animantia. At vero Agno non solum animalia, sed universae creaturae, quae sunt in caelo, & quae super terram, quae sub terra, valde promptè, ac gratulantur & subijciuntur; unde Agno tanta vis, ut omnes creaturas trahat in sui regni dominationem? Agnus valde innocens est, ac simplicissimus absque ullo duplicitaris dolo, & simplicitas, ac innocentia inter omnes virtutes

Simplicitas valde apta ad regnum, & ipsum munit.